

Pierij Val. Canis.

hæc penetralia perscrutatur, quod est Plutonem ipsum telo impetere, atq; etiã D
ferire: hoc inquam est rerum naturã enancisci: tot in orbe terrarum monstra do
mitat, ferinos quippe mores componit, & ciuilibus, honestis & vilibus legibus
addicit. Mox vt de Poëta Flaccus etiam,

Pectus præceptis format amicis,

Aperitatis & inuidia corrector &

Coelum demum inscendit, & inde quicquid rationi obnoxii esse potest aucu-
patur, cunctaq; prospectat, & ad amulsim omnia nũ recta sint explorat. Hercu-
lis ad hæc clauam, quã heros is fuerit in domitandis monstris vsus, philosophiã,
monstra verò animi vitia significare interpretatur Floridis. Apuleius. Atq; vt
ad Cerberum reuertar, sunt qui rem simpliciter accipiant, caninis eũ capitibus
effictum à Poëtis, propterea quòd Tartareus in custos habeatur. Historiam ta-
men Heccateus Milesius super eo tradit, serpentem in Tænarò fuisse, quem ea
de causa canem appellari, quòd morfu esset admodum lethifero, hominesq;
quos icisset, statim interficeret, eumq; ab Hercule deductum ad Euristhea. Sed
hæc scriptorum semper fuit licentia, vt ex commodo quisq; suo fabulas confin-
geret. Mihi autem magis arridet figmentum prius positum, qui tam præclaros
viros, tam eruditè rem ipsam interpretari videam.

A N V B I S.

Ademus & Anubin Deum per canis effigiem ab eisdem Ægyptijs figura
tum, de quo veteres quidam historici prodidèrè, vnã eũ cum Osiride gi-
gantes ex Italia pepulisse. Canino verò capite fuisse eum, ex eo commentum,
quòd Isidis & Osiridis corpora custodierit, quod vti dictum superius, canibus
est admodum peculiare, eaq; de causa canem galeis insculpi morem esse, quod
in veterum numis complusculis obseruauit.

O R I Z O N.

Sedenim super Anubi Plutarchus longè eruditius rē perscrutatus, remotio-
ra disciplinarũ penetralia recludit, ac terminatorem in spherã circulum per
Anubin in fabulis, per canem in scriptione sacra & hieroglyphica significari tra-
dit: quippe qui Nephthyn apud Ægyptios infe-
rius hemisphæriũ esse contendit: Isin verò supe-
rius: lucidum hoc & diurnum, obscurum illud &
nocturnũ: vtriusq; verò participem Anubin, qui
& interdii & noctu visu pariter fruatur. Eandem
enim vim apud Ægyptios Anubis habet, quam
apud Græcos Hecate, cui supera & inferna dedi-
carunt. Nam cùm triceps effingeretur Hecate, v-
num omnino caput caninum, equinum alterum,
humana verò figura tertium adsculpebatur, quod
tamen hispida & rusticana facie simulabant: cu-
ius picturã hieroglyphicũ causam in Equo latius enarrauimus.

D I A N A.



S A T V R N V S.

SVnt qui per Anubin Saturnum interpretentur, quòd omnia ex sese pariat,
atq; ita sit & luminis, & tenebrarum particeps: quia materia obscura est, for-
ma, verò conspicua. Qui fabulas de iis, quæ rerum initio facta fuerint ab Oro-
mæze memorant, & celo inquirunt & astris fabricatis cultodem eum adhibitum,
atq; hinc canis figmentum excogitatum.

Princeps